

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7136

**Auteur(s) :** Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Barthélemy Iscanus, Exeter (évêque)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1172, 22 mai-1172, 30 mai]

**Lieu d'émission :** Normandie

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lettre de Henri II à Barthélemy, évêque d'Exeter, annonçant à quelles conditions il a été absous de toute participation au meurtre de Thomas, archevêque de Cantorbéry.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCCCLII, t. 1, p. 584-585.

## Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 584.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, Bartholomeo episcopo Exoniensi, caro et fidei suo, salutem.

Sciatis quod per gratiam Dei prospera navigatione applicui in Normanniam, et inveni totam terram meam cismarinam in summa pace et tranquillitate disponente Deo constitutam, et homines ac fideles meos de adventu meo, ut oportebat, uberiori letitia perfusus. Accessi deinde ad dominos legatos, et quamquam eos in principio duros invenissem, et, ut videbatur, penitus flecti non possent, tamen contra spem omnium, contra opinionem singulorum, pax denique secuta et ad honorem Dei et Ecclesie, et meum et regni mei, inter nos est reformata, sicut ex sequentibus vobis plenius innotescet. Hec enim sunt que me ad eorum instantiam observaturum promisi, quod scilicet, ab instanti festo Pentecostes usque in annum, tantam pecuniam dabo unde ad arbitrium fratrum Templi CC. milites ad defensionem terre Jerosolymitane per annum valeant teneri, et quod licebit fieri appellationes ad dominum papam libere, ita tamen ut, si quos suspectos habuerim, antequam de regno exeant, jurent quod in itinere illo nec malum meum nec dedecus regni mei perquirent; et quod consuetudines, que tempore meo contra ecclesias terre mee inducte sunt, dimittam, quas quidem aut paucas aut nullas estimo; et quod possessiones Cantuariensis ecclesie, si que ablate sunt, plene restituam, sicut habuit uno anno antequam archiepiscopus de Anglia egrederetur; clericis preterea et laicis utriusque sexus pacem meam et possessiones suas restituam, qui occasione prenominati archiepiscopi destituti fuerunt. Et hoc mihi ex parte domini pape in remissionem omnium peccatorum injunxerunt observandum. Ego autem, pace reformata, statim in Angliam venissem, nisi quia domini legati colloquium habituri

sunt apud Cadomum die martis proxima post Ascensionem Domini. Cum autem rediero, vos mihi statim occurrere non pretermittatis.  
Testibus...